

## §. 1.

**O**nomatologia omninò antecedere debet, quo per eam in rerum ejusmodi cognitionem deveniatur facilius. Accuratioꝝ autem evolutio nominum *Etymologiam*, *Synonymiam atqve Homonymiam* continet.

§. 2. Quod vocem Hermundurorum attinet, respectus ad regionis nostræ metalliferæ primam ac vetustissimam denominationem habetur, quæ *terra Hermundurorum* audit. Fuerunt enim *Hermunduri* Germaniæ populi, & quidem secundùm illius præscam divisionem, inferioris, quæ hodie respectu habito ad occidentalem Germaniæ partem est superior.

§. 3. Heic si Chronicorum architectos sequi volupe esset, poteramus eorum primam originem ex *Japheti* posteris derivare. Tradunt enim ex Japheti tribus nepotibus *Ascenata*, *Riphate* & *Thogarma* Genes. X, 1. 2. 3. gentes Europæas trahere originem, ita, ut à Riphate provenerint Sarmatæ sive Riphæi, qui in montibus Riphæis ab illis ita dictis sedem fixerunt: Ab Ascenate verò & Thogarma natu maximò & minimò fratribus, Germani inferiores atqve superiores: illi quidem ab Ascenate (qui post linguarum confusionem vocatus fuisset D' Ascon sive T' Ascon ex articulo *Der* juxta morem durius scripto, & proprio nomine *Ascenas*, unde porro exigua literarum mutatione *Tuiscon* & *Tuiscones*, die *Ascanes*, factum. Confer *Phil. Melanchth. lib. 1. & Cass. Peucer. l. 4. Chron. Carion.*) & propriè dicti die *Teudschen*; Hi verò, superiores scil. Germani à Thogarma, qui & speciali nomine dicti fuissent Germani s. *Germanier*, absorptâ primâ Syllabâ quasi *Garmani*, & prima vocali in secundam mutatâ, ceu lingua hæc mutare solet. Inde quoque suspicantur aliqui, hos populos primitùs à se in vicem distinctos fuisse, quem in modum fortassis hodie Germani, juxta aliam regionis divisionem, inferiores superioresqve (*Nieder-und Hoch-Teutsche*) appellantur. Quia verò Romani Scriptores hoc gentium discrimen minùs observaverint, factum esse, ut postea sine discrimine Germani tam inferiores, quàm superiores, h. e. *Teudsche und Germanier* / pro iisdem populis fuerint habiti. Alii alias derivationes conquirunt. Vid. *Bernegg. quest. Miscell. ad Tacit. de Mor. Germ. qv. VII.*

§. 4. Tacitus *de Morib. Germ. cap. 2.* Tuisconem Deum facit  
terrâ